Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1553

Quelle:
Copyright:

XII. *fol.* 230. p. 2. Excerpta quaedam ex *Boethio*, *Caſſiodoro*, *Gregorio M.* Autore *Doctrinae Rudium*, *galfredi Vine ſauf Angl. Poetria*, *Ovidio*, *Henrico Samarienſi* ſeu *Paupere*, et *Jacobo Beneventano* O. P. quem tamen verſus ſcripſiſſe non memorat *Quetifus Scriptt. O. P.* T. I. p. 648.

XIII. *fol.* 231. fine titulo, ſed ex Indice praevio: *Tractatus magiſtri Auguſtini de Ankona ord. beremit. ſancti Auguſtini contra diuinatores et ariolos.* Ita exorditur: *Quoniam ſicut tempore retroacto ita et nunc quidam inſurgunt, qui non voluntatem rationi ſubiciunt nec doctrine ſtudium impendunt* &c. Directus eſt ad quendam *Reuerendum Patrem*, et in XXI. *Capita* tributus, quorum elenchus Praefationem excipit. Finis eſt: *Sed ſolum eſt ab illo omnis veritas poſtulanda qui eſt via veritas et vita, quam ipſe nobis tribuat qui* &c. Sequitur ſubſcriptio: *Explicit tractatus contra divinatores et ſomniatores editus a fratre Auguſtino de Anchona Sacre Theologie doctore ordinis fratrum heremitarum ſancti Auguſtini, Scriptus per manus fratris Johannis de Recz* (Auſtriae Oppido) *Sacre Theologie profeſſoris exigui ordinis antedicti et vsque ad finem deductus in Wienna. Anno domini M° CCCC° III°. In die ſancte Agathe virginis et martiris omnes legentes in ipſo orate pro eo. Requieſcat in pace Amen.* Inter *Auguſtini Triumphi de Ancona* Opera tractatus hic nec a *Geſnero*, nec a *Fabricio*, nec ab ipſo *Oſſingero* in *Bibl.* ſui Ordinis citatur. Librarius noſter, et ipſe vir in hoc ordine celeber, non potuit diem obire 1402. ut adſerit *Oſſingerus* cit. p. 740. cum initio *Februarii* 1403. primum ſcriptionem abſolverit.

Codex noſter olim ad *Auguſtinianos Ratisbonenſes* pertinuit; unde non mirum tot in eo hujus Ordinis Scriptores contineri.

CCCCXVI.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 340. 4. currente calamo ſcriptus hanc in praefixa membrana Notam exhibet: *Iſte liber datus eſt pro libraria domus ex parte R. M. Petri* (Tzach) *de Pulka ſacre Theologiae profeſſoris eximij cujus anima feliciter requieſcat in ſancta pace amen.* Hujus Viri Acta pro Religione et Academia *Vienn.* maxime in Concilio *Conſtant.* adumbrantur in *Scriptt. Univ. Vien. Sec. I.* p. 95. Scriptorum vero Pars in hoc *Codice* continetur, quem percurremus. Initium facit Confutatio quaedam *Jacobi de Miſa*, quae incipit: *Pietatis inexpugnabilis impiiſſimus oppugnator quidam pſeudopredicator Magiſter Jacobellus nomine quoddam ſcriptum erroribus refertum de vſu ſacramenti eukariſtie — Prage edidiſſe dicitur quod incipit:* Pius iheſus diligens ſuos fideles &c. *In quo ſub pietatis ſpecie militat poſſetenus contra piiſſimum dei cultum* &c. Duplex igitur acceſſio ad Con- 555

troverſiam